

Mayhoff Karl Friedrich Theodor ed.1906. *Naturalis Historia. Pliny the Elder [Histoire naturelle. Pline l'Ancien]*. Lipsiae. Teubner..

<http://www.perseus.tufts.edu/cgi-bin/ptext?doc=Perseus:text:1999.02.0138:book=8:chapter=57>

LVII.

conduntur hieme et pontici mures, dumtaxat albi, quorum palatum in gustu sagacissimum auctores quonam modo intellexerint miror. conduntur et alpini, quibus magnitudo melium est, sed hi pabulo ante in specus convecto, cum quidem narrant alternos marem ac feminam subrosae complexos fascem herbae supinos, cauda mordicus adprehensa, invicem detrahi ad specum ideoque illo tempore detricto esse dorso. sunt his pares et in aegypto similiterque resident in clunes et binis pedibus gradiuntur prioribusque ut manibus utuntur.